



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Deipara.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

Deipara.

SI ulterius oculos corporis in firmamentum, & oculos mentis in cælum empyreum fixos tenes, spectandam se tibi præbebit *mulier amicta sole*, Apoc. 12. *conterens caput serpentis*, Gen. 3. *luna perfecta*, totque aliis figuris in v. testamento adumbrata, Regina cælorum, Angelorum, hominum, Mater Dei, & Virgo immaculatè concepta, quæ in tui bonum Filio ostendit ubera, dum ipse Patri vulnera. O quale gaudium tibi in cælo erit esse inter hos tuos, intra quos in hac miseriarum valle se sistebat cum summo exuberantis animi gaudio Augustinus. O Mater ephœbi aut pedissequi adinstar te desidero comitari in cælis per totam æternitatem tecum cantans: *Magnificat anima mea Dominum*, in hac autem vita fideliter tibi serviam, indies mysterium Immaculatæ Conceptionis tuæ devoto cultu venerabor, gratulans: quod de te sola inter omnes puros homines gloriari nunquam in ævum possit Dæmon; quod vel unico sub ejus dominatu momento fuerit pretiosissima anima tua. O Mater inveniam gratiam in oculis tuis, jure enim *in sensu accommodatio* tibi applicat Ecclesia illud Prov. 8. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

Quis mihi te rapiet? nemo, quis me tibi? nemo, Filius ergo tibi, tu mihi Mater eris.